

ANNEXE 11

L'analyse sociolinguistique de Françoise Gaide à partir des recherches de William Labov.

Evaluation	Résumé	[Trimalchio dixit] "Oro te, sic felicem me uideas, narra illud quod tibi usu uenit. " [...]
	Indications	Niceros delectatus affabilitate amici: Omne me, inquit, lucrum transeat, nisi iam dudum gaudimonio dissilio, quod te talem uideo. Itaque hilaria mera sint, etsi <i>timeo istos scolasticos ne me rideant. Viderint: narrabo tamen, quid enim mihi aufert, qui ridet?</i> satius est rideri quam derideri". Haec ubi dicta dedit talem fabulam exorsus est: "Cum adhuc seruirem, habitabamus in uico angusto; nunc Gauillae domus est. Ibi, quomodo dii uolunt, amare coepi uxorem Terentii coponis: noueratis Melissam Tarentinam, pulcherrimum bacciballum. "Forte dominus Capuae exierat ad scruta scita expedienda. Nactus ego occasionem persuadeo hospitem nostrum, ut mecum ad quintum miliarium ueniat. <i>Erat autem miles, fortis tanquam Orcus.</i>
	Développement	<i>Apoculamus nos circa gallicinia; luna lucebat tanquam meridie. Venimus inter monimenta : homo meus coepit ad stelas facere; sedeo ego cantabundus et stelas numero. Deinde ut respexi ad comitem, ille exiit se et omnia uestimenta secundum uiam posuit. Mihi anima in naso esse; stabam tanquam mortuus. At ille circumminxit uestimenta sua, et subito lupo factus est. Nolite me iocari putare; ut mentiar, nullius patrimonium tanti facio. Sed, quod coeperam dicere, postquam lupo factus est, ululare coepit et in siluas fugit. Ego primitus nesciebam ubi essem; deinde accessi, ut uestimenta eius tollerem: illa autem lapidea facta sunt. Qui mori timore nisi ego ? Gladium tamen strinxi et † matauitatau † umbras cecidi, donec ad uillam amicae meae peruenirem. In laruam intraui, paene animam ebulliui, sudor mihi per bifurcum uolabat, oculi mortui; uix unquam reffectus sum. Melissa mea mirari coepit, quod tam sero ambularem, et: « Si ante, inquit, uenisses, saltem nobis adiutasses; lupo enim uillam intrauit et omnia pecora tanquam lanius sanguinem illis misit. Nec tamen derisit, etiamsi fugit; seruus enim noster lancea collum eius traiecit ».</i>
	Résultat	Haec ut audiui, <i>operire oculos amplius non potui, sed luce clara Gai nostri domum fugi tanquam copo compilatus;</i> et postquam ueni in illum locum, in quo lapidea uestimenta erant facta, nihil inueni nisi sanguinem. Vt uero domum ueni, iacebat miles meus in lecto <i>tanquam</i> bouis, et <i>collum illius medicus curabat.</i>
	Chute	Intellexi illum uersipellem esse, nec postea cum illo panem gustare potui, non si me occidisses. Viderint quid de hoc alii exopinissent; <i>ego si mentior, genios uestros iratos habeam</i> ".

Pétrone, *Le Satiricon*, texte édité et traduit par Ernout A., Paris, Belles Lettres, 3^e éd., 1950 (Collection des Universités de France).